

na concupiscentiarum, est ad aliquam horam, quæ etiam minoratur per hoc quod eis aliquis non consentit: nam quanto magis aliquis delectabilibus utitur, tanto magis crescit in eo delectabilis appetitus: debilitantur enim concupiscentiæ per abstinentiam, & alia exercitia corporalia, quæ conveniunt his qui continentiam propositum habent. Usus etiam corporalium delectabilium magis abducit mentem à sua altitudine, & impedit à contemplatione spiritualium quam inquietudo quæ provenit in resistendo concupiscentiis horum delectabilium: quia per usum delectabilium, & maxime venerorum, mens maxime carnalibus inhæret, cum delectatio faciat quiescere appetitum in re delectabili: & ideo his qui ad contemplationem divinorum, & cuiusque veritatis intendunt, maxime nocivum est veneris deditos esse, & maxime utile ab eis abstinere. Nihil autem prohibet, quamvis universaliter dicatur uni homini melius esse continentiam servare quam matrimonio uti, quin alicui illud melius sit. Unde & Dominus facta de continentia mentione dicit Math. XIX. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc; sed qui potest capere, capiat.*

Ad id autem quod de præcepto primis parentibus dato, ultimo positum est, petet responsio per ea quæ dicta sunt. Præceptum enim illud respicit inclinationem naturalem quæ est in hominibus ad conservandam speciem per actum generationis; quod tamen non est necessarium per omnes exequi, sed per aliquos, ut dictum est. Sicut autem non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare, ita nec expedit ab eo omni tempore abstinere, maxime quando necessaria erat multiplicatio generationis; vel propter hominum paucitatem, sicut in principio, quando humanum genus cepit multiplicari; sive propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipsum per carnalem generationem multiplicari, ut fuit in veteri testamento. Et ideo consilium de continentia perpetua observanda reservatum est temporibus novi testamenti, quando spiritualis populus per spiritualem generationem multiplicatur.

CAPUT CXXXVII.

Contra eos qui matrimonium virginitati æquabant.

Fuerunt autem & alii qui licet continentiam perpetuam non improbant, tamen ei statum matrimonii æquabant: quæ est hæresis Joviniani. Sed huius erroris falsitas satis ex prædictis apparet, cum per continentiam homo reddatur habilior ad mentis elevationem in spiritualia, & divina, & quodammodo supra statum hominis ponatur in quadam similitudine Angelorum.

Nec obstat quod aliqui perfectissimæ virtutis viri matrimonio usi sunt, ut Abraham, Isaac, & Jacob: quia quanto virtus mentis est fortior, tanto minus potest per quæcumque à sua altitudine deijci. Nec tamen quia ipsi matrimonio usi sunt, minus contemplationem veritatis, & divinorum amaverunt; sed secundum quod conditio temporis requirebat, matrimonio utebantur ad multiplicationem populi fidelis. Nec tamen perfectio alicujus personæ est sufficiens argumentum ad perfectionem status, cum aliquis perfectiori mente possit uti minori bono quam alius majori bono imperfectiori mente. Non igitur quia Abraham, vel Moyses perfectior fuit multis qui continentiam servant, propter hoc status matrimonii est perfectior quam status continentiae, vel ei æqualis.

(1) Al voluit. (2) Al volenti. (3) Al deest actum.

CAPUT CXXXVIII.

De errore eorum qui vota impugnant.

Quibusdam autem visum est stultum esse obligare se voto ad obediendum alicui, aut ad quodcumque servandum.

Unumquodque enim bonum quanto liberior agitur, tanto virtuosius esse videtur. Quanto autem ex majori necessitate quis ad aliquid observandum adstringitur, tanto minus libere id agere videtur. Videtur igitur derogari laudabilitati virtuosorum actuum per hoc quod ex necessitate obediunt, vel voti fiunt. Videntur autem huiusmodi homines necessitatis rationem ignorare. Est enim duplex necessitas. Quædam coactionis, & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur; coactum enim est quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas ex interiori inclinatione procedens; & hæc laudem virtuosorum actuum non minuit, sed auget: facit enim voluntatem magis intense tendere in actum virtutis. Patet enim quod habitus virtutis quanto fuerit perfectior, tanto vehementius voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minus ab eo deficere; quod si ad finem perfectionis devenierit, quamdam necessitatem infert ad bene agendum, sicut est in beatis, qui peccare non possunt, ut infra Lib. IV. c. xcii. patebit: nec tamen propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati. Est autem alia necessitas ex fine, sicut cum dicitur alicui necesse habere navem, ut transeat mare. Patet autem quod nec huiusmodi necessitas libertatem voluntatis diminuit, nec actuum bonitatem; quin potius quod quis agit quasi necessarium ad finem, ex hoc ipso laudabile est, & tanto laudabilius, quanto finis fuerit melior. Necessitas autem observandi quæ quis (1) vovit, aut obediendi ei cui se supposuit, non est necessitas coactionis; sed nec etiam ex interiori inclinatione proveniens, sed ex ordine ad finem: est enim necessarium (2) voventi hoc vel illud agere, si debet votum impleri, aut obedientiam servari. Cum igitur hi fines laudabiles sint, utpote quibus homo se Deo subjicit, necessitas prædicta nihil diminuit de laude virtutis.

Est autem ulterius considerandum, quod dum implentur aliqua quæ quis vovit, vel quæ sibi præcipiuntur ab eo cui se subdidit, proter Deum, majori laude, & remuneratione sunt digna. Contingit autem unum (3) actum duorum virtutum esse, dum actus unius virtutis ad finem alterius virtutis ordinatur; ut cum quis furatur, ut fornicetur, actus quidem secundum speciem suam est avaritiæ, secundum intentionem vero luxuriæ. Eodem autem modo & in virtutibus contingit quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur; sicut cum quis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat charitatis, actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis. Huiusmodi autem actus majorem laudem habet ex amore virtutis, scilicet ex charitate, quam ex liberalitate: unde etsi remittatur in eo quod liberalitatis est, ex eo quod ad charitatem ordinatur, laudabilior, & majori mercede dignus erit quam si liberalius ageretur non in ordine ad charitatem. Ponamus ergo aliquem opus aliquod virtutis agentem, puta jejunantem, vel continentem se à veneris: & quidem si absque voto hoc faciat, erit actus vel castitatis, vel abstinentiæ; si autem ex voto, refertur ulterius ad aliam virtutem, cujus est Deo aliquid vovere, scilicet ad religionem, quæ potior est castitate, vel abstinentia, utpote faciens nos recte habere ad Deum. Erit ergo actus continentiae, vel abstinentiæ laudabilior in eo quod ex voto facit, etiam si non ita delectetur in abstinentia, vel continentia, ex eo quod delectatur in potiori virtute, quæ est religio.

2. Item. Id quod potissimum est in virtute, est debitus finis: nam ex fine principaliter ratio boni manat. Si ergo finis fuerit eminentior, etiam si in actu aliquis se remissius habet, erit ejus actus virtuosior; sicut si aliquis proponat propter bonum virtutis longam viam agere, alius autem brevem, laudabilior erit qui majus aliquid propter virtutem intendit, licet in progressu viae lentus procedat. Si autem aliquis facit aliquid propter Deum, illum actum Deo offert; sed si ex voto hoc faciat, non solum actum, sed etiam potentiam offert Deo; & sic patet, quod propositum suum est ad aliquid majus Deo exhibendum. Erit ergo actus ejus virtuosior ratione majoris boni intenti, etsi in executione alius videatur ferri.

3. Præter. Voluntas præcedens actum manet virtute in tota consecutione actus, & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito voluntatis, propter quod actum incipit, in executione operis non cogitat: non enim oportet quod qui propter Deum aliquid iter arripuit, in qualibet parte itineris de Deo cogitet actu. Patet autem quod ille qui vovit se aliquid facturum, intensius illud voluit quam qui simpliciter facere disponit: quia non solum facere voluit, sed voluit se firmare ut non deficeret à faciendo. Ex hac igitur voluntatis intensione redditur executio voti cum intensione quadam laudabilis, etiam quando voluntas vel non actu fertur in opus, vel fertur remisse. Sic ergo laudabilis fit quod ex voto fit, quam quod fit sine voto, cæteris tamen paribus.

CAPUT CXXXIX.

Quod merita, & peccata non sunt paria.

1. 2. quæst. LXXIII. art. 2.

EX his autem manifestum est quod neque omnia bona opera, neque omnia peccata sunt paria. Consilium enim non datur nisi de meliori bono. Dantur autem consilia in lege divina de paupertate, continentia, & aliis huiusmodi, ut supra cap. cxx. dictum est. Hæc igitur meliora sunt quam matrimonio uti, & temporalia possidere; secundum quæ tamen contingit virtuose agere ordine rationis servato, ut supra cap. cxxxiv. ostensum est. Non igitur omnes actus virtutum sunt pares.

2. Adhuc. Actus speciem recipiunt ex objectis. Quanto igitur objectum est melius, tanto & actus erit virtuosior secundum speciem suam. Finis autem melior est his quæ sunt ad finem: quorum tanto aliquid melius est, quanto est fini propinquius. Inter actus igitur humanos ille est optimus qui in ultimum finem, scilicet Deum, immediate fertur; post quem tanto actus melior est secundum suam speciem, quanto objectum est Deo propinquius.

3. Amplius. Bonum in actibus humanis est secundum quod ratione regulatur. Contingit autem aliquos aliis ad rationem magis accedere, quanto actus qui sunt ipsius rationis, magis habent de bono ratio-

nis quam actus inferiorum virtutum, quibus ratio imperat. Sunt igitur inter actus humanos aliqui aliis meliores.

4. Item. Præcepta legis optime ex dilectione implentur, ut supra cap. cxxviii. dictum est. Contingit autem aliquem alio ex majori (1) dilectione quod faciendum est facere. Erit igitur virtuosorum actuum unus alio melior.

5. Præterea. Si ex virtute actus hominis boni redduntur; contingit autem intentionem etiam eandem majorem esse in uno quam in alio: oportet ergo quod humanorum actuum sit unus alio melior.

6. Item. Si ex virtutibus actus humani boni redduntur, oportet meliorem esse actum qui est melioris virtutis. Contingit autem virtutem unam altera meliorem esse, puta magnificentiam liberalitate, & magnanimitatem moderantia. Erit igitur humanorum actuum unus alio melior.

Hinc est quod dicitur I. Corinth. vii. 38. *Qui matrimonio jungit (2) virgines suas, bene facit; qui autem non jungit, melius facit.*

Et eisdem etiam rationibus apparet quod non omnia peccata sunt paria; cum per unum peccatum magis discedatur à fine quam per aliud, & magis pervertatur ordo rationis, & majus nocumentum proximo inferatur.

Hinc est quod dicitur Ezech. xvi. 47. *Sceleriora fecisti illis in omnibus viis tuis.*

Per hoc autem excluditur quorundam error, dicentium omnia merita, & peccata paria esse.

Quod tamen omnes virtuosus actus sint æquales, ex hoc videbatur aliquam rationem habere, quia omnis actus virtuosus est ex fine boni: unde si omnium bonorum actuum est idem finis boni, oportet omnes æqualiter bonos esse. Licet autem sit unus finis ultimus boni, actus tamen qui ex illo bonitatem habent, diversum gradum accipiunt: est enim in his bonis quæ ad ultimum finem ordinantur, differentia graduum, secundum quod quædam sunt aliis meliora, & fini ultimo propinquiora. Unde in voluntate, & actibus ejus gradus bonitatis erit secundum diversitatem bonorum, ad quæ terminatur voluntas, & ejus actus, licet ultimus finis sit idem.

Similiter etiam quod omnia peccata sunt paria, videtur ex hoc habere rationem, quia peccatum in actibus humanis accidit ex hoc solo quod aliquis præterit regulam rationis. Ita autem præterit regulam rationis qui in modico à ratione recedit, sicut qui in magno. Videtur igitur peccatum æquale, sive in modico, sive in magno peccetur.

Huius autem rationi videtur suffragari quod in humanis judiciis agitur. Nam si alicui statuatur limes quem non transgrediatur, nihil refert apud judicem, sive multum, sive modicum sit transgressus; sicut non refert ex quo pugil limites campi exivit, utrum parum, an longius progrediatur. Ex quo igitur regulam rationis pertransiit, non refert utrum in modico, vel in magno ipsam transiverit.

Sed si quis diligenter inspicatur, in omnibus quorum perfectio, & bonum in quadam commensuratione consistit, quanto magis à debita commensuratione receditur, tanto majus erit malum; sicut sanitas consistit in debita commensuratione humorum, & pulchritudo in debita proportionatione membrorum; veritas autem in commensuratione intellectus, vel sermonis ad rem. Patet autem quod quanto est major inæqualitas in humoribus, tanto est major infirmitas; & quan-

(1) Al. delectatione. (2) Vulgata virginem suam.

to est major inordinatio in membris, tanto est major turpitudine; & quanto magis à veritate receditur, tanto est major falsitas: non enim est tam magna falsitas æstimantis tria esse quinque, sicut ejus qui æstimat tria esse centum. Bonum autem virtutis in quadam commensuratione consistit: est enim medium secundum debitam limitationem circumstantiarum inter contraria vitia constitutum. Quanto igitur magis ab hac harmonia receditur, tanto est major malitia.

Non est autem simile virtutem transgredi, & terminos à iudice positos transire. Nam virtus est secundum se bonum: unde virtutem transgredi est secundum se malum; & ideo oportet quod magis à virtute recedere sit majus malum. Transgredi autem terminum à iudice positum, non est secundum se malum, sed per accidens, in quantum scilicet est prohibitum. In his autem quæ sunt per accidens, non est necessarium quod si simpliciter sequitur ad simpliciter, & magis sequatur ad magis; sed solum in his quæ sunt per se: non enim sequitur, si album est musicum, quod magis album sit magis musicum; sequitur autem, si album est segregativum visus, quod magis album sit magis segregativum visus.

Est autem hoc inter peccatorum differentias attendendum, quod quoddam est mortale, & quoddam veniale. Mortale autem est quod animam spirituali vita privat: cuius quidem vitæ ratio ex duobus potest sumi secundum similitudinem vitæ naturalis. Vivit enim corpus naturaliter per hoc quod anima unitur, quæ est ei principium vitæ; corpus autem vivificatum per animam ex se ipso movetur, sed corpus mortuum vel immobile manet, vel ab exteriori tantum movetur. Sic igitur & voluntas hominis, cum per rectam intentionem ultimo fini conjungitur, quod est ejus objectum, & quodammodo forma, viva est; & cum per dilectionem Deo, & proximo inhæreat, ex interiori principio movetur ad agendum. Recta autem intentione ultimi finis, & dilectione præferta, fit anima velut mortua, & non movetur ex se ipsa ad agendum recta; sed vel omnino ab eis agendis desistit, vel ad ea agendum solum ab exteriori inducitur, scilicet metu pœnarum. Quæcumque igitur peccata intentioni ultimi finis, & dilectioni opponuntur, mortalia sunt; si vero his salvis aliquis in aliquo recto ordine rationis deficiat, non erit mortale peccatum, sed veniale.

CAPUT CXL.

Quod actus hominis puniuntur, & præmiantur à Deo.

EX præmissis autem manifestum est quod actus hominis puniuntur, vel præmiantur à Deo.

1. Ejus enim est punire, vel præmiare, cuius est legem imponere: legis enim latore per præmia, & pœnas observantiam legis inducunt. Sed ad divinam providentiam pertinet ut legem hominibus ponat, ut ex supra dictis cap. cxiv. patet. Ergo ad Deum pertinet homines punire, vel præmiare.

2. Præterea. Ubi cumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat: ea enim quæ sunt ex fine, necessitatem sortiuntur ex fine, ut scilicet ea necesse sit esse, si finis debeat sequi, & eis absque impedimento existentibus finis consequatur. Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni, ut ex prædictis pa-

(1) Deest forte divinam, vel Dei.

ter. Oportet igitur quod si ordo ille recte positus est, quod incedentes per illum ordinem, finem boni consequantur, quod est præmiari; recedentes autem ab illo ordine per peccatum, à fine boni excludi, quod est puniri.

3. Adhuc. Sicut res naturales ordini divinæ providentiæ subduntur, ita & actus humani, ut ex prædictis cap. xc. patet. Utrobique autem convenit debitum ordinem servari, vel etiam prætermitti; hoc tamen interest quod observatio, vel transgressio debiti ordinis est in potestate humanæ voluntatis constituta, non autem in potestate naturalium rerum est quod à debito ordine deficiant, vel ipsum sequantur. Oportet autem effectus causis per convenientiam respondere. Sicut igitur res naturales, cum in eis debitus ordo naturalium principiorum, & actionum servatur, sequitur ex necessitate naturæ conservatio, & bonum in ipsis; corruptio autem, & malum, cum à debito, & naturali ordine receditur: ita etiam in rebus humanis oportet quod cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositæ, consequatur bonum non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est præmiari; & è converso malum, quum ordo legis fuerit prætermittitur, & hoc est puniri.

4. Amplius. Ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil inordinatum in rebus relinquat: unde in rebus naturalibus videmus contingere quod omne malum sub ordine alicujus boni concluditur, sicut corruptio aeris est ignis generatio, & occisio ovis est pastus lupi. Cum igitur actus humani divinæ providentiæ subdantur, sicut & res naturales, oportet malum quod accidit in humanis actibus, sub ordine alicujus boni concludi. Hoc autem convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur: sic enim sub ordine justitiæ, quæ ad æqualitatem reducit, comprehenduntur ea quæ debitam quantitatem excedunt. Excedit autem homo debitum suæ quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinæ voluntati præfert satisfaciendo ei contra ordinem Dei: quæ quidem inæqualitas tollitur dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum (1) ordinationem. Oportet igitur quod peccata humana puniantur divinitus, & eadem ratione bona facta remunerationem accipiant.

5. Item. Divina providentia non solum disponit rerum ordinem, sed etiam movere omnia ad ordinis ab eo dispositi executionem, ut supra ostensum est. Voluntas autem à suo objecto movetur, quod est bonum, vel malum. Ad divinam igitur providentiam pertinet quod hominibus bona proponat in præmium, ut voluntas ad recte volendum moveatur, & mala proponat in pœnam, ad hoc quod inordinationem vitet.

6. Præterea. Divina providentia hoc modo res ordinavit quod una alteri prosit. Convenientissime autem homo proficit ad finem boni tam ex bono alterius hominis quam ex malo, dum excitatur ad bene agendum per hoc quod videt bene operantes præmiari, & dum revocatur à male agendo per hoc quod videt male agentes puniri. Ad divinam igitur providentiam pertinet quod mali puniantur, & boni præmientur.

Hinc est quod dicitur Exod. xx. 5. *Ego sum Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, & faciens misericordiam his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*: & in Psalm. lxi. 12. *Reddes unicuique juxta opera sua*: & Rom. 11. 6. *Reddes unicuique secundum*

ope-

opera: his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem; his autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.

Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium, quod Deus non punit; dicebant enim Marcion, & Valentinus, alium esse Deum bonum, & alium esse Deum justum, qui punit.

CAPUT CXLII.

De differentia, & ordine pœnarum.

QUIA vero sicut ex prædictis patet, præmium est quod voluntati proponitur quasi finis quo excitatur ad bene agendum; è contrario pœna voluntati proponitur ut à malo retrahatur, quasi aliquid fugiendum, & malum: sicut de ratione præmii est quod sit bonum, & voluntati consonum; ita de ratione pœnæ est quod sit malum, & contrarium voluntati. Malum autem est privatio boni. Unde oportet quod secundum differentiam, & ordinem bonorum sit etiam ordo, & differentia pœnarum.

Est autem summum bonum hominis felicitas, quæ est ultimus finis ejus. Quanto ergo aliquid est huic fini propinquius, tanto præminet magis hominis bonum. Huic autem propinquissimum est virtus, & si quid aliud est quod ad bonam operationem hominum proficiat, qua pervenitur ad beatitudinem: consequitur autem & debita dispositio rationis, & virtutum ei subjectarum; post hoc autem & corporis incolumitas, quæ necessaria est ad expeditam operationem; demum autem ea quæ exterius sunt, quibus quasi adminiculantibus utimur ad virtutem. Erit igitur maxima pœna hominem à beatitudine excludi; post hanc autem, virtute privari, & perfectione quacumque naturalium virtutum animæ ad bene agendum; dehinc naturalium potentiarum animæ deordinatio; post hoc autem corporis nocementum; demum autem exteriorum bonorum sublatio.

Sed quid de ratione pœnæ est: non solum quod sit privatio boni, sed etiam quod sit contraria voluntati; non autem cujuslibet hominis voluntas existimat bona secundum quod sunt: contingit interdum quod id quod est majoris boni privativum, est minus contrarium voluntati, & propter hoc minus pœnale esse videtur: & inde est quod plures homines qui bona sensibilia, & corporalia magis æstimant, & cognoscunt quam intelligibilia, & spiritualia, plus timeant corporales pœnas quam spirituales: secundum quorum æstimationem contrarius ordo videtur pœnarum ordini supradicto. Apud hos enim maxima pœna æstimantur læsiones corporis, & damna rerum exteriorum; deordinatio autem animæ, & dampnum virtutis, & amissio fructus divinæ, in qua consistit ultima hominis felicitas, aut modicum, aut nihil reputatur ab eis. Hinc autem procedit quod hominum peccata à Deo puniri non æstimant, quia vident plerumque peccatores incolumitate corporis vigere, & exteriori fortuna potiri; quibus interdum homines virtuosius privantur. Quod recte considerantibus mirum videri non debet. Cum enim omnia exteriora ad interiora ordinentur, corpus autem ad animam; interiora exteriora, & corporalia bona sunt homini bona, in quantum ad bonum rationis proficiunt; secundum vero quod bonum rationis impediunt, homini vertuntur in malum. Novit autem rerum dispositor Deus mensuram virtutis humanæ: unde interdum homini virtuosius corporalia, & exteriora bo-

na ministrat in adiutorium virtutis, & in hoc ei beneficium præstat; interdum vero ei prædicta subtrahit, eo quod considerat homini illi esse ad impedimentum virtutis, & fructus divinæ. Ex hoc autem exteriora bona vertuntur homini in malum, ut dictum est: unde & eorum amissio eadem ratione homini vertitur in bonum. Si igitur omnis pœna malum est; non est autem malum hominem exterioribus, & corporalibus bonis privari, secundum quod expedit ad profectum virtutis: non erit hoc homini virtuosius pœna, si privetur exterioribus bonis in adiutorium virtutis. E contrario autem erit malis in pœnam, si eis exteriora bona conceduntur, quibus provocantur ad malum. Unde & Sapientie xiv. 11. dicitur, quod *creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Quia vero de ratione pœnæ est non solum quod sit malum, sed etiam quod sit contrarium voluntati, amissio corporalium, & exteriorum bonorum, etiam quando est homini in profectum virtutis, & non in malum, dicitur pœna abusive, ex eo quod est contra voluntatem. Ex inordinatione autem hominis contingit quod homo non æstimet res secundum quod sunt, sed corporalia spiritualibus præferat. Inordinatio autem talis aut est culpa, aut ex aliqua culpa præcedente procedens. Unde consequenter patet quod pœna non sit in homine, etiam secundum quod est contra voluntatem, nisi culpa præcedente.

Hoc etiam ex alio patet, quia ea quæ sunt secundum se bona, non verterentur homini in malum per abusum, nisi aliqua inordinatione in homine existente.

Item quod oporteat ea quæ voluntas acceptat, eo quod sunt naturaliter bona, homini subtrahi ad profectum virtutis, provenit ex aliqua hominis deordinatione, quæ vel est culpa, vel sequitur culpam. Manifestum est enim quod per peccatum præcedens fit quædam inordinatio in affectu humano, ut facilius postmodum ad peccatum inclinetur. Non ergo est absque culpa etiam quod oportet hominem adjuvari ad bonum virtutis per id quod est ei quodammodo pœnale, id est in quantum est absolute contra voluntatem ipsius, licet quandoque sit volitum secundum quod ratio respicit finem.

Sed de hac inordinatione in natura humana existente ex peccato originali, posterius dicetur; nunc autem id tantum manifestum sit quod Deus punit homines pro peccatis, & quod non punit absque culpa.

CAPUT CXLII.

Quod non omnia præmia, & pœnæ sunt æquales.

CUM autem divina justitia id exigat quod ad æqualitatem in rebus servandam pro culpis pœnæ reddantur, & pro bonis actibus præmia; oportet, si est gradus in virtuosius actibus, & in peccatis, ut ostensum est, quod sit etiam gradus præmiorum, & pœnarum: aliter enim non servaretur æqualitas, si non plus peccanti major pœna, aut melius agenti majus præmium redderetur. Eiusdem enim rationis esse videtur quod differenter retribuatur secundum differentiam boni, & mali; & secundum differentiam boni, & melioris, vel mali, & pejoris.

Præterea. Talis est æqualitas distributiivæ justitiæ, ut inæqualia inæqualibus reddantur. Non ergo esset justa recompensatio per pœnas, & præmia, si omnia præmia, & omnes pœnæ essent æquales.